

T45

Epigrammi III, 38

Roma

- Quae te causa trahit vel quae fiducia Romam,
 Sexte? Quid aut speras aut petis inde? Refer.
 “Causas” inquis “agam Cicerone disertior ipso
 atque erit in triplici par mihi nemo foro”.
- 5 Egit Atestinus causas et Civis – utrumque
 noras –; sed neutri pensio tota fuit.
 “Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis:
 audieris, dices esse Maronis opus”.
- 10 Insanis: omnes gelidis quicumque lacernis
 sunt ibi, Nasones Vergiliosque vides.
 “Atria magna colam”. Vix tres aut quattuor ista
 res aluit, pallet cetera turba fame.
 “Quid faciam? Suade: nam certum est vivere Romae”.
 Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.